



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

1 Praedicationis munus praecipuum est Episcoporum, qui, si legitimè impediti fuerint, per viros ad id munus exequendum idoneos supplere tenentur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

- 17 Regulares ad publicas processiones accedere tenentur.
- 18 Controversia de precedentia, quomodo terminanda, & à quibus.
Confraternitates, an ad publicas processiones compelli possint, ibid.
- 19 Regulares sunt Episcopis subiecti in observatione dierum festorum, ac interdictionum, & quid juris de ritibus.
- 20 Episcopi, quam jurisdictionem habeant in monasterijs, aut domibus virorum, seu mulierum, quibus cura imminet animarum.
- 21 Regulares non possunt pulsare suas campanas in die Sabbati majoris hebdomada, antequam campana Cathedralis, vel majoris Ecclesia pulsetur.

Evangelii Prædicatio, quæ Christianæ Reipubl. non minus est necessària, quàm lectio, est præcipuum Episcoporum munus, & ideo postquam de Indulgentiis disseruimus, de verbi Dei prædicatione tractandum videtur. Piè ac salubriter statuit, atque decrevit sacros. Trid. Syn. omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primate, & omnes alios Ecclesiarum Prælatos, teneri per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum JESU Christi Evangelium; si vero contigerit Episcopos, & alios prædictos legitimo detineri impedimento propter suas occupationes multiplices, vel valetudines corporales, aut hostiles incurfus, seu occasiones alias (ne dicamus defectum scientiæ, quod in eis reprobaturum est omnino) ita, ut per se ipsos non possent ministrare verbum Dei populo, maxime per amplas Dioceses, & diffusas; viros idoneos ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequendum potentes in opere, & sermone, assumere debent, qui plebes sibi commissas vice ipsorum, cum per se ipsos non possunt, sollicitè visitantes, eas verbo ædificent, & exemplo, *cap. Episcopus nullam rei, 88, dist. c. inter cetera, ex. de off. ord. Conc. Trid. c. 2, de resor. sess. 5, & c. 4, de ref. sess. 24.* Archipresbyteri quoque, † Plebani, & quicumque parochiales, vel aliàs curam animarum habentes, ecclesias quocunque modo obtineant per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & festis solennibus; tempore autem jejuniorum, Quadrages. & Adventus Domini, quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate salutaribus verbis pascere debent, docendo quæ scire omnibus necessaria sunt ad salutem, annunciandoq; eis cum brevitate, & facilitate sermonis, vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant. Et, si quis ipsorum id præstare neglexerit, etiamsi ab Episcopi jurisdictione quavis ratione exemptum se esse prætenderet, etiamsi ecclesiæ quovis modo exemptæ dicerentur, aut alicui monasterio, etiam extra diocesim existenti forsan annexæ, vel unitæ, modò re ipsa in diocesi sint, provida pastoralis Episcoporum cura & sollicitudo deesse non debet, ne illud Jerem. Thren. 4. impleatur, *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eu.*

Itaque, † ubi ab Episcopo moniti trium mensium spatio, muneri suo defuerint, per censu-